



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

lesu Christi Annus. M.D.XCVI. Sancti Patris Benedicti. M.C.XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

horam vigintianteobitum diebus, indicante venerabili Francisco de Jeyes nostro, cui Divinitus id erat revelatum, præsciens & expectans. Ex Josepho de Valasco &c

Hispaniam illustrat singulari & integritatis famâ, & summâ eruditionis Venerabilis P.F. Josephus Garzias Monachus celebris Canobij Ferrariensis, vulgo l'Errera, Philosophus Eximius & Theologus consummatus, qui cum singulari affectu afficeretur ad studia, ad Theologica tamen totus inclinabat, quod sciret inde erui infinita arcana, & DEI magnalia innotescere. Et quamvis solitudine plurimum delectaretur, ut sibi vacaret & Numini, cujus offensas plurimum dolebat & deplorabat; hoc tamen ipso dolore impulsus, ut vitia in populo passim & palam grassantia pro suo eximio zelo reprimeret, sese concionando exercere cepit, omnemque movit lapidem, ut graviter exerrantes in viam mandatorum DEI dirigeret. Sed nec hic feruor iste stetit, verum multos eruditionem & pietatem redolentes libros posteritati reliquit, è quibus præcipui:

- Concionum de Sanctis. Liber 1.
- Concionum de Tempore. Liber 1.
- Commentaria in aliquot Davidis Psalmos. Liber 1.

Commentaria in Evangelium Matthæi Lib.1. Et plura alia, quorum aliqua Prudentius Plaza evulgavit Pampelonæ in quarto.

Eodem anno, quæ nostrorum tot sæculis fuit in novos Ordines benevolentia & munificentia, Joannes Saracenus Illustrissimi Sancti Vedasti apud Atrebatas Abbas, eidem Amplissimæ Urbi, pro majore civium solatio inducit primum Seraphici Ordinis Patres Capucinos (quos etiam supra diximus in primis Sacri Instituti incunabulis susceptos & paternè curatos) ipsdemque Canobium ibidem exstruit; quos & deinceps mirâ dignatione fovit, suisque posteris commendavit, idem ipse exemplar & speculum virtutum omnium, & dignissimus titulo hoc BENEDICTI redivivi, Ex Monumentis Vedast. Cl. Rob. &c.

Clarent eodem tempore Paschalis Venetus ex Monacho Carcerensi prope Atestum Congregationis nostræ Camaldulensis Arbiensis Episcopus; Au-

gustinus item Fortunius Monachus, celeberrimi & florentissimi Angelorum Monasterij Florentiæ, ingenij monumentis celebris, scriptis octo Historiæ Camaldulensis libris, & diversis alijs: sed & Vitalis Zuccolus Abbas Patavinus relictis præstantis ingenij doctissimis lucubrationibus, quarum sequentes in lucem datas audivimus:

- Dialogorum diversorum super Meteor. Lib. 1.
- Enarrationum super Con. Tassi. Lib. 1.
- Traductio Cambiorum justorum. Lib. 1.
- Commentariorum & Quæstionum super Platonem. Lib. 1.
- Octoginta Sermones super Cantica Cantecorum. Lib. 1.

Hoc primum anno contendunt nonnulli ab Henrico IV. Gilbertum Genebrardum nostrum ad Thronum & Cathedram Archiepiscopalem Aquisensem evectum, de quo nos jam superius ex aliorum opinione.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XCVI. Sancti Patris Benedicti. M. C. XVI.

Nunc denique post biennij moram venientibus Româ Bullis Confirmationis Pontificijs, missis etiam, qui quibuscunque possent artibus persuaderent, Doctores duobus, an tribus Sorbonicis, humillima Virgo nostra Beatæ memoriæ Maria de Beauvillier, post longam tergiversationem persuaderetur, acceptare Prælaturam, Montis Martyrum, cum periclitari Monasterium sua causâ animadverteret, & suo eripi Patri BENEDICTO ob dissolutissimam disciplinam metueret. Verum hæc jam manus dante, tergiversari sancta ejus Institutrix Bello-montensis Abbatissa Mariæ Amita., quod non ad Monasterium, sed ad lupanar sanctam discipulam rapi diceret, donec & ipsa, quanti interesset, informata, quantumque spei in Maria reponeretur, intelligeret, & Dei gravem offensam, si porro obniteretur, metueret. Et sanè ex Dei ipsius extra ordinaria factum fuisse dispositione, ex multis postea signis manifestò apparuit. Erant sorores binæ gemellæ spiritu non minus quam carne & sanguine ejusdem Monasterij Montis Martyrum Moniales lectissimæ, quæ cum frequentius statum Canobij & sodalium miseratæ, & detestantes, cum nul-

Vitalis Zuccolus Abb. Lucubrationes.

Gilbertus Genebrardus.

Ven. Maria de Beauvilliere si Abb. Montis Martyrum.

Pastoris ejus Monasterij statuit.

Dna carne & spiritu sorores.

P. Josephus Garzias mon. Ferrar.

Ingenij monumenta.

Jean Saracenus Abb. Vedast. de Capucinis opt. meretur.

Paschalis Arbiensis Episcopus.



nullam sperarent emendationem, locum professionis mutare statuerent, scrupulo nihilominus conscientiae retentae DEI prius enixè rogandam voluntatem concluderent; quod & strenuè fecerunt; venitque in mentem eremitam quendam sanctitatis opinione celebrem, quatuor tantum milliariibus distantem à Parisiorum Urbe conclusum cellulâ, desuper rogare, qui rem cordi habuit, & sollicitato paucis diebus Numine, hoc responsum dedit: (verbis Msti libelli damus) *Nolle DEUM, ut loco Professionis abscederent, reformanda Domus, futura, miserante & opitulante DEO, præcipua instrumenta &c. Brevis usus Juniorum Abbatissam, qua superatis Divinâ ope obicitus omnibus tante molis opus prudens inchoaret, invicta prosequeretur, fortunata persiceret.* Ita factum, receptisque Bullis Pontificijs Maria non sine ingenti luctu & comploratione Illmæ Amitæ suæ totiusque Conventus Bellomontensis, itineri se dedit, cujus unicam puellam sociam habere voluit, nullus quidem apud homines nominis, sed gratiarum omnium virtutumque opibus apud Deum commendatissimam, quæ Religionem ingressa, plurimum prudentiâ, consilij, maxime autem vivo virtutum exemplo Reformationi insigniter præluxit. Caterum Maria nostra, priusquam solemniter inthronizaretur in Monte Martyrum, in Palatio amicissimi Henrico Regi, Dynastæ de Fraxino, præter voluntatem retenta, & à diversis Principibus foeminis visitata, vix persuaderi potuit, ut Regem tantopere de se meritum salutaret, quod vel invita debuit, cum Rex fortè apud prædictum Dominum prandium sumeret, & quid circa Montem Martyrum ageretur? interrogaret; cumque Abbatissam etiamnum secum morari diceret, ipsam evocare jussus, invitam admodum, verecundissimæ mentis Virginem Regi stitit, supra modum super elycescente sanctitatis imagine admirabundo, qui & omnem illi Regiam gratiam, & adminicula pollicitus, terio postea affirmavit, gloriæ sibi ducere, nec minimum gratulari tantarum virtutum monialem intueri meruisse. Nec multo post professionem Monasterij & regimen adijt, ab Episcopo Sanctonensi solemniter

Revelatio
de Successi-
bus Refor-
mationis.

Maria vix
persuade-
tur Regem
salutare.

De ejus
contutu si-
bi Rex gra-
tulatur.

introducenda & benedicta. De cujus sanctis exemplis. conatibus & conatum successibus suo loco deinceps. *Ex Volum. Ms. & Amando Tribout.*

In Gallijs & Provincia Narbonensi mira se sanctitatis producit exempla Reverendorum Patrum nostrorum Fulienfium, quos inter eodem absolutissimæ perfectionis titulo exsplendescit Beatæ memoriæ Joannes Marionus, promotor ejusdem sacrae Congregationis, & disciplinæ Monachicæ præcipuus, Verbi autem Divini prædicator, verbo non minus quam exemplo potentissimus, omni virtutum genere apprimè excultus, humilitatis tamen pulcherrimo in Religiosis omnibus desideratæ studio admirandus, quo honores Ecclesiasticos, & Episcopales dignitates ultero oblatos, dignissimæ generositate animatus avertatus, constanter rejectis; eo ipso, & quod admirandis sanctitatis excelleret signis, in Catalogo Beatorum Fulienfium, tanquam unus è primarijs ejus Instituti syderibus insertus. *Carolus à S. Maria, Maurique, Henricus &c.*

Durantibus bellis civilibus in Francia, Illustrissimus & Reverendissimus Annas d' Escars noster, ex Monacho & Abbate S. Benigni Divionensis Lexoviensium Pontifex Romam se recipit, summo ibidem in honore habitus, dum nemo non in ipso omnium Virtutum mirabile coagulum, & compositum quoddam veneraretur, ita ut paulo post, absque ulla alia quam priorum meritorum commendatione, à Clemente Papa VIII. sacrae Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter sub titulo Sanctæ Susannæ renunciaretur; ita quam primùm Romæ se probans & Ecclesiæ, ut singulare prorsus ornamentum purpuræ, fulcrum Ecclesiæ, celebraretur. *Ex Vita ejusdem & rer. Gall. Script.*

Eodem anno, maxima sua, Canonicorum & Ordinis gloria universi, multa Cathedræ ejusdem cum utilitate & felicitate, creatur Archiepiscopus & Dux Cameracensis Joannes Saracenus Illustrissimi illius & celeberrimi Archiepiscopi S. Vedasti apud Atrebatensibus, & Philippi II. Hispaniarum atque Indiarum Regis Consiliarius in sui sanctioris status Belgici intimo senatu. Idem litterarum omnium Mecænas muni-

Ven. Joan-
nes Mari-
nus Fulien-
sis.

Anna d'
Escars Ca-
rdinalis cre-
atur

Joan Sar-
acenus su
Archiepi-
scopus &
Dux Ca-
meracensis.

munificus, de cujus ingenij monumen-
dis consulendus. *Ferreolus Loctius &c.*
Florentissimum fama nomen Joan-
nis Dorothei nostri Monachi & Prio-
ris S. MARIÆ Vallensis, sive de Val-
le Congregationis Cluniacensis, U. J.
D. & in Universitate Burgundiæ Mi-
noris Dolensi Professoris Primarij, qui
ob eximiam virtutem & eruditionem
factus Episcopus Nicopolitanus, & suf-
fraganeus Archiepiscopi Bisuntini, ex-
in Eminentissimi & Illustrissimi S. R.
E. Cardinalis Granvellani, mox etiam
Cardinalis Lotharingi Vicarius, ubi-
vis se & magna vitæ integritate, &
omni consiliorum & operum dexte-
ritate mirificè commendans. *Arnol-
dus Duacenus &c.*

Joan. Do-
rotheus
Prior Val-
lensis Episc.
Nicopol.

Christo-
phorus Ca-
stelleus.

Inter Illustres sui temporis viros
merito numerandus. Christophorus
Castelleus, extinguitur hoc anno, cum
aulas Cæsaris ac Regum triginta an-
nos, totidem & paulo plures Christo
Regum Regi utrobique fideliter, huic
multo felicius & utilius, quam illis ser-
vivisset. Caterum etsi delictum olim
Aulæ esset, nihil tamen inde quàm lau-
des & inania promissa retulisse falsus,
ubi primum delicias atriorum Domi-
ni expertus est, Religiosorum sacra-
solacia omnibus mundi præstare deli-
cijijs serió affirmavit, & verè agnovit,
quàm antea vana multa meditatus &
in lucem proferens, tam plena deinceps
coelestium rerum præguitus scrip-
sit, & multa cum utilitate posteris com-
municavit, sacra & profana ingenij
monimenta celebrantur sequentia:

Magni in-
genij mo-
nimenta.

- Amatoriorum Operum quæ in saeculo vul-
gavit. Liber I.*
- Epistolarum ad diversos. Liber I.*
- Historia Pyrami & Thisbes Hispanico car-
mine. Liber I.*
- De Amoris profani passionibus & affecti-
bus. Liber I.*
- Poliphemi Soliloquium.*
- Joco-Seria, sive rerum facetarum. Lib. I.*
- De lingua Hispanica affluentia & præstan-
tia. Liber I.*
- Fabula Aëtaonis ex Ovidio, & in hanc
Commentaria. Liber I.*
- De infelicitatibus quæ supervenerunt anno
Domini 1540. Liber I.*
- Transfiguratio cujusdam Camabri. Lib. I.*
- Laudes Civitatis Viennensis in Austria.
Liber I.*
- De moribus, conditionibus, & natura fe-
minarum Dialogus.*

- Dialogus inter Calamum & Auctorem.*
- Contra varietatem & instabilitatem Que-
rimonia. Liber I.*
- Lexamen afflictionum seu dolorum Lib. I.*
- Dialogus inter oblivionem & memoriam.*
- De Aulicorum infelicitate, miserijs & a-
rumnis. Liber I.*
- Dialogus inter Fabricium & Prudentium.*
- De Principum moribus, religione, pruden-
tia & Virtutibus.*
- De Aulica prudentia & civilitate.*
- Colloquium inter fidelitatem & adulationem.*
- De Interventione Sanctissime Crucis Dominicæ.*
- De Beatissime Virginis Visitatione, Salu-
tatione & Purificatione.*

Quæ simul cum supra scriptis ex-
cusa sunt plus quam decies, etiam ex-
tra Hispanias.

IESU CHRISTI ANNU S. M. DCCVII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XVII.

TRISTISSIMUS hic annus Ecclesiæ
Christianæ, amplissimo Gallia-
rum Regno, & Regum maximo Hen-
rico IV. occasu syderis longè illustris-
simi Gilberti Genebrardi Aquensis Ar-
chiepiscopi, Hæresum profligatoris a-
cerrimi, Consiliarij Regis & Regni sa-
pientiâ inexhausti, fidelitate præcipui,
incomparabilis dexteritate, de quo ca-
su Rex plurimum consternatus, & qua-
stus summpere, prius sibi & Regno
ablatum, quàm pro dignitate evehe-
re, & honorare potuisset, gratumque
ipsi animum contestari. De quo sic
Claudius Robertus in Gallia sua Chri-
stiana, breviter, sed Emphaticè: *Objt*
*1597 16. February, ut habet inscriptio mo-
numenti in B. MARIÆ Semurienfis Prio-
ratu, quem vivens religiosissimè admini-
straverat, de quo Prioratu nos infra in Epi-
scopis Lingonensibus numero 49. At de
Genebrardo Possévinus in apparatu sacro.
Wion in Ligno vitæ, & plures plura, sed
nunquam satis, ubi materia superat opus.
inter quos Franciscus de Sales Episcopus Ge-
nevensis libro II. de Amore Dei cap. II. cui
Genebrardo mortuo, immortuo, are alieno
jam olim parentavimus:*

Gilbertus
Genebrardus
mori-
tur.

*Abstulit una dies ævi Decus, idæque luctu
Conticuit sacra tristis facundia lingua.*

Insigne
Elogium.

*Nec immeritò, præclarum Ecclesiæ lit-
terarumque Sydus ab Opere nuncupatur.
Vide R. P. Hilarionis de Coste Elogia Il-
lustrium Gallia virorum. Et ad margi-
nem, idem Robertus: Genebrard dece-
dè au grand regret de toute la Chrestienté
pour*